



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 40. Quid censeri debeat in dubio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

quando enim interrogatur , semper declarat ejusmodi facta esse simoniaca , imò rarissimè dispensat, sed præcipit dimitti beneficia & restituī omnes fructus perceptos.

Q. 40. *Quid censeri debeat in dubio.* R. §. I. ¹⁹⁵
 Si probabile sit Simoniam non intervenisse, non est, quod aliquis sibi scrupulum faciat, tum quia sequi potest probabilem, tum etiam, quia est in possessione suæ innocentiaz, quam adhuc præsumere potest, quamdiu non rescit se nocentem, unde rectè docent Zypæus aliique cum Dian. P. 6. T. 8. R. 17, quamvis secundùm Jus etiam ille sit Simoniacus, qui non intelligit se illicitum agere, si re ipsa committatur simonia, tamen qui processit ex autoritate Doctorum , excusatur à culpa & poena. Vide dicenda à num. 204.

§. 2. Si verum sit dubium, an commissa sit Simonia nec ne, v.g. scis datos esse centum imperiales, sed nescis, an dati sint cum pacto aliquo aut gratis vel alio licito titulo, nec habes prudens motivum pro alterutra parte judicanda, in tali dubio poteris præsumere non intervenisse Simoniam , quia delicta non præsumuntur , & innocentia est in possessione, donec probationes claraz & convincentes afferantur, ita Suar. Pirh. L. 5. T. 3. n. 132. Tamb. in Dec. L. 1. c. 3. §. 7. v. *Simonia.*

§. 3. Ubi verba sunt dubia, Ecclesia præsumit ¹⁹⁷ simoniā, econtrà ubi verba sunt dubia, Jus civile non præsumit Usuram , disparitas esse potest, quod Usura non sit ita communis , & habeat plures titulos excusantes, Simonia autem nunc sit communissima, nec sint tituli tales excusantes.

Q. 41. *An in simonia detur parvitas materiae.* ¹⁹⁸
 R. Affirmat Alloza v. *Simonia* Sect. 4. n. 29. Item Molin, dicens, quod ad mortale furtum sufficit,